temptat mollitie delectationis subigat. Cumque mollities
hoc ab animo tarde repellit mucrone confessionis occidat.
·j·iij·] it rector praecipuus actione ut vite viam subditis vivendo
denunciet et grex qui pastoris vocem moresque sequitur
per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui
enim loci sui necessitate exigitur summa dicere hac eadem necessitate com-
pellitur summa demonstrare. Illa namque vox libentius auditorum
cor penetrat quam dicentis vita commendat quia quod loquendo
imperat ostendendo adiuvat ut fiat. Hinc etenim per prophetam dicitur
Super montem excelsum ascende tu qui evangelisas Syon
ut videlicet qui celesti predicatione utitur yma iam terrenorum operum deserens
in rerum culmine stare videatur tantoque facilius subditos ad meliora
pertrahat quanto per vite meritum de supernis clamat. Hinc di-
vina lege armum sacerdos in sacrificio et dexterum accipit et separatum
et non solum sit operatio eius utilis sed etiam singularis nec
inter malos tantummodo que recta sunt faciat sed bene operantes quoque sub-
ditos sicud honore ordinis superat ita etiam morum virtute transcen-
dat. Cui in esum quoque pectusculum cum armo tribuitur
ut quod de sacrificio precipit sumere hoc de semetipso auc-
tori discat ymolare et non solum pectore que sunt recta
cogitet sed spectatores suos ad sublimia armo operis in-
vitet. Nulla prospera presentis vite appetat nulla adversa
pertimescat blandimenta mundi respectu intimi terroris despi-
ciat terrores autem consideratio interne dulcedinis blandimento
contempnat. Unde superne quoque vocis imperio in utroque humero
sacerdos velamine superhumeralis astringitur ut contra adversa
ac prospera virtutum semper ornamento muniatur quatenus
iuxta vocem pauli per arma iusticie a dextris sinistrisque
gradiens cum ad sola que anteriora sunt nititur in nullo de-
lectationis infime latere flectatur. Non hunc prospera elevent
non adversa perturbent non blanda usque ad voluptatem
demulceant non aspera ad desperationem premant ut dum nullis
passionibus intentionem mentis humiliat quanta in utroque humero
superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod ergo
recte est superhumerale ex auro iacincto purpura bis